

rationem adorationis et cultus, et ut sic sunt actus imperati a religione, et proxima objecta, seu materia circa quam versatur voluntas adorandi Deum. Hæc est sine dubio sententia D. Thomæ, 2. 2, q. 84, art. 2, ubi inquit an adoratio importet actum corporalem, et respondet ex Damasceno, duplicem esse adorationem, scilicet, spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione; et corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione; et in solutione ad secundum in hoc comparat adorationem cum oratione, quia, sicut oratio principaliter existit in mente, secundario autem verbis exprimitur, ita adoratio principaliter in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis. Atque eadem proportione dicit, q. 85, artic. 2, sacrificium externum esse signum interioris sacrificii, quo anima seipsam offert Deo. Rursus, q. 103, art. 1, inquit, honorem quoad homines non deferri nisi per signa exteriora, qualia sunt illa, quæ supra ex Aristotele numeravimus; homines enim, cum non cognoscant internos actus, nisi per exteriora signa, non possunt se mutuo honorare, nisi signis externis, quia honoratio nihil aliud est quam testificatio de excellentia alicujus. At vero apud Deum, qui inspector est cordium (ait D. Thomas), honor ipsius potest consistere in solo interiori motu cordis, dum, scilicet, aliquis recogitat Dei excellentiam, scilicet recognoscens illam, et per hoc, quantum est ex se, illam testificans. Hujusmodi autem honor respectu Dei habet veram rationem adorationis; nam, licet honor absolute dictus latius pateat quam adoratio, ut sectione superiori dictum est, tamen honor, qui deferretur alicui superiori, et in recognitionem excellentiæ ejus, et servitutis vel subjectionis illi debita, vera est adoratio, et de hoc honore Dei ibi agit D. Thom. Denique idem D. Thom., in 3, d. 9, q. 1, art. 1, q. 3, ait Deum coli fide, spe et charitate; idque duobus modis exponit. Prior est, quia dictæ virtutes ordinant ad cultum, quod clarius dixit 2. 2, q. 81, artic. 5, ad 1, quia suo imperio causant actum religionis, quæ operatur quædam in ordine ad Deum; et hæc expositio non est ad rem nostram. Posterior ergo expositio est, illis virtutibus coli Deum, quia actus earum materialiter assumuntur in cultum Dei; et hoc est quod asserimus; estque hæc posterior expositio conformior Augustino, qui auctor fuit illius sententiæ, christianam religionem maxime colere Deum fide, spe

et charitate, in Ench., c. 3 et 6, et 12 de Trin., c. 14, et 10 de Civit., c. 9. Atque eodem sensu hanc doctrinam amplectuntur Albertus, d. 9, art. 1, ad 5; Richard., art. 1, q. 3, ad 3; Palud., q. 1, art. 2; Thom. de Argent., art. 1; Gabr., art. 2, et in canonem, lect. 50; Alexand. Alen., 3 p., q. 30, memb. 1, artic. 3; Henric., Quodl. 10, q. 6; Wald., de Sacram., cap. 117; Cordub., lib. 4, quæst. 5; Aiala, de Tradit., p. 3, consid. 7, c. 1; Bellarm., l. 1 de Cultu Sanct., c. 12.

7. Prima probatio, ex Scriptura, et ex Angelorum adoratione. — Et probatur primo ex Scriptura, Psal. 95: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*. Et ad Hebr. 1: *Et cum iterum introducit eum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus*. Et Apocal. 7: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt, et adoraverunt*. Item 2 Esdr. 9: *Exercitus cæli te adorat*. Et Ecclesia, in præfatione dicit: *Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cæli, colorumque Virtutes, ac beata Seraphim, etc.*, ubi alludit ad visionem Isaïæ, cap. 6, ubi vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et Seraphim stabant super illud, sex ale uni, et sex ale alteri, duabus velabant faciem ejus, et duabus pedes ejus, et duabus volabant, et clamabant alter ad alterum, et dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena est omnis terra majestatis gloriæ ejus*. Similia testimonia sunt apud Danielelem, c. 3 et 7. Ex quibus conficitur argumentum, nam in Angelis est vera et propria adoratio, ut ex dictis locis constat; sed adoratio non potest ab Angelis exerceri per actus corporeos; ergo adoratio ex se non consistit in solo actu externo et corporali. Dicit aliquis id verum esse, quia requirit affectum internum. Sed hoc nullius momenti est ad prædicta testimonia explicanda; hoc enim ex eis efficere contendimus, affectum internum adorandi non versari proxime circa solum actum externum et corporalem, alias talis actus non posset proprie Angelis attribui, sicut non potest eis tribui temperantia, castitas, et similes. Nisi quis fortasse dicat non esse eandem omnino rationem de adoratione, quia saltem per corpus assumptum potest Angelus eam exercere. Qui autem sic responderit, necesse est fingat non posse Angelos adorare Deum, nisi assumendo corpora. Quod et per se est improbable et incredibile, et alienum ab intentione et sensu Scripturæ in citatis locis, et a sensu Ecclesiæ, cum dicit, Domina-

tiones adorare Deum in cælo. Unde Chrys., hom. 1, de illis verbis Isaïæ 6: *Vidi Dominum, etc.*, annotat, incorporeas virtutes non indigere corporibus ad adorandum Deum, sed ita describi a Propheta, ut illarum adorationem posset hominibus explicare. Et Dionys., cap. 13 de Cæl. Hier., satis post medium, eandem visionem tractans: *Aperiebatur* (inquit) *illi per hæc, altissimorum spirituum vis multa peragrans, multaque prospiciens, sacraque illorum, ac plena horroris veneratio*.

8. Atque hinc facile excluditur evasio, si quis respondeat in illis locis esse sermonem non de adoratione propria prout est actus religionis, sed late, prout omnis actio virtutis, quatenus Deo placet, et apta est in ipsum referri ut ultimum finem, est quidam Dei honor vel cultus. Nam hæc responsio imprimis est contra proprietatem verborum Scripturæ, quæ omnino retinenda est et servanda, præsertim ubi nec necessitas, neque auctoritas ulla cogit sensum proprium deserere. Quod ita in præsentia declaro, nam, cum Scriptura dicit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*, quem actum virtutis circa Deum postulat ab Angelis? numquid amorem vel obedientiam? Certe, si nil aliud postularet, potius diceret: *Et ament eum, vel, Obediant illi omnes Angeli ejus*. Cur enim sine ulla causa et fundamento dicendum est, adorationem pro amore vel obedientia posuisse? Nam, si ita licet exponere, nihil firmum et certum ex Scriptura colligi poterit. Accedit, quod si testimonia ipsa sigillatim considerentur, plane constabit esse sermonem de proprio actu religionis, qui est adoratio. Nam Psal. 96, proxime ante illa verba, dicitur: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris, et subditur: Adorate eum omnes Angeli ejus*; falsæ igitur adorationi idolorum opponit veram Dei adorationem. Et hoc significavit Basil. ibi, in Scholio, dicens: *Ubi ostendit confundendos eos, qui simulacra adorant, subostendit etiam innumerabiles esse myriades Deum nostrum adorantes*; et August., in Exposit.: *Discant* (inquit) *pagani adorare Deum, Angelos volunt adorare, Angelos imitentur, et illum adorent, qui ab Angelis adoratur*. Intelligunt ergo hi Patres illa verba de propria adoratione. Sicut etiam Athanas., Cyril., Ambros., quos refert Claud. de Sanct., Cyril., Repet. 9, de Euchar., c. 3, qui expendunt, ex illis verbis probasse Paul., ad Heb. 1, Christi divinitatem; quia Angeli præcipiuntur eum adorare propria et perfecta latræ adoratione. Quis ergo

audebit interpretari: *Adorent eum*, id est, ament eum?

9. Præterea, in dicto loco Isaïæ manifeste describuntur actus religiosæ adorationis et reverentiæ, quod etiam Ecclesia in dictis verbis præfationis satis significat. Unde Chrysostomus, dicta homilia 1: *Velabant* (inquit) *faciem suam, suam religionem et reverentiam significantia, quam habent erga Dominum. Velabant pedes suos, id est, inexcipientem erga conditorem reverentiam exhibere student, multamque anxietatem, tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, tum denique ipsa statione*. Et deinde id late declarat, adhibito exemplo servi coram Domino existentis, et omnia signa reverentiæ exhibentis; et concludit: *Hoc et ab illis incorporeis virtutibus fit; cum enim plurimam habeant erga conditorem reverentiam, hanc undequaque conantur præstare*. Eadem est sententia Dionysii, in cit. cap. 13 de Cælest. Hierarch.

10. Aliter respondere quis posset, esse quidem ibi sermonem de vero et proprio actu religionis, tamen illum actum in Angelis non esse alium, nisi laudationem Dei, quæ interdum solet adoratio appellari, cum tamen in rigore adoratio proprie sumpta a laude distinguatur. Unde in eo loco Isaïæ 6 statim subjungitur: *Plena erat omnis terra gloria ejus*. Est autem gloria, clara cum laude notitia. Illa ergo Angelorum adoratio nihil aliud est quam divina laus; et ita exponunt ibi Cyrillus et Basilus. Sed hæc responsio non infirmat, sed confirmat potius vim testimoniorum. Primo, quia laus divina genus quoddam adorationis est, si per eam quis divinam excellentiam, suamque ad illam submissionem profiteatur; unde, etiam si corporali voce ex eodem motivo fiat, ut fieri potest a nobis, solum materialiter differt ab illa adoratione, quæ per actiones corporis exhibetur. Nam sicut mentis significatio verbis facta, vel nutibus ac gestibus, formaliter ejusdem rationis, et ejusdem veritatis vel falsitatis est, et eundem effectum habere potest, ita significatio interioris reverentiæ, verbis aut actionibus facta, ejusdem honestatis et virtutis est. Potest igitur saltem hoc genus adorationis esse merum internum et spirituale; et ideo Scriptura utrumque tribuit Angelis, scilicet laudem et adorationem, et in utroque servat proprietatem. Secundo, declaratur hoc amplius, quia in laude duplex habitudo considerari potest. Una est ad eum qui laudatur; alia est ad eos coram quibus laudatur. Hæc posterior potest

quidem in Angelis sicut in hominibus reperiri, juxta illud Isaiaë 6: *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, etc.*, ubi Hieronymus: *Invicem se ad Domini laudes cohortantur*. Sed, quamvis hæc posterior habitudo possibilis sit et honesta, non est tamen simpliciter necessaria, sed ad solum Deum laus referri potest, etiam si ab alio non percipiatur. Et sic etiam potest Angelus laudare Deum mente sua, etiam si aliis non loquatur; nam hæc locutio accidentalis est et extrinseca divinæ laudi, quæ interius facta consistere potest in recognitione divinæ majestatis, ejusque consideratione et interna confessione coram ipsa; ergo in tali actu vera ratio adorationis reperitur.

11. Tertio, hoc declaro ex alio testimonio clarissimo, ut opinor, ad propositam veritatem confirmandam, ad Philip. 2: *In nomine Jesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, et infernorum, etc.*, ubi, ex omnium sententia et expositione, genuflectere positum est pro eo quod est reverentiam exhibere seu adorare; et hoc ad litteram significat, quamvis vox ex parte metaphorica sit. Docet ergo Paulus quod, sicut in hominibus est genuflexio materialis, ita in spiritibus celestibus et infernalibus est spiritalis genuflexio, id est, aliquis modus seu actus ad veram ac propriam adorationem exhibendam. Quocirca, sicut ex illis verbis Pauli, 1 ad Corinth. 13: *Si linguis hominum loquar et Angelorum, recte colligunt Theologi, præter locutionem humanam et materialem dari spiritualem et internam, ita, ex eo quod Paulus ait esse genuflexionem in Angelis et hominibus, recte evidenter colligimus, præter adorationem, quæ signis corporis exhibetur, esse spiritualem adorationem, quæ internis actibus, seu nutibus, quidquid illi sint, exhibetur. Imo etiam in spiritualibus videtur Paulus adorationem a laudatione vel recognitione distinguere, nam subdit: *Et omnis lingua confiteatur, etc.*, id est, tam angelica, quam humana, nam pro eisdem distributio fit, cum dicitur: *Omnis lingua, pro quibus facta fuerat in illo verbo: Omne genu, ut omnes exponunt. Unde D. Thom. ibi ait, in bonis Angelis illam esse confessionem laudis, in malis vero esse coactam, quæ fit per recognitionem Dei, qua, vel inviti, credunt et contremiscunt.**

12. Poterit tandem respondere aliquis, his argumentis recte probari esse in Angelis adorationem spiritualem, non tamen inde inferri esse posse in hominibus, qui corporales

sunt. Sicut etiam locutio in Angelis est spiritalis, in hominibus vero non potest esse nisi corporalis. Sed hæc responsio imprimis per se est improbabilis, nam homo cum Angelis convenit in spiritu et mente, et suos actus exercet interiores, intellectus et voluntatis, quamvis in genere entis minus perfectos, et ita potest eos ordinare in Deum sicut Angeli; et formaliter loquendo, potest ex eadem honestate seu intentione cultus divini interius operari; ergo quoad hoc est eadem ratio de hominibus quæ de Angelis. Item ex eisdem testimoniis, præsertim ex loco Pauli, constat, in anima separata posse esse veram adorationem Dei; ergo idem erit in conjuncta, quia quoad hoc etiam eadem ratio intercedit, nec dependentia a phantasmatibus obstat, quia, cum agimus de adoratione pure interna et spiritali hominum, non excludimus cooperationem phantasie, sed actiones exteriores corporis. Sicut, cum dicitur esse in homine oratio pure mentalis, non excluditur cooperatio phantasie, sed linguæ. Præterea, si fundamentum contrariæ sententiæ, quod in tertia ratione supra est explicatum, alicujus momenti esset, æque procederet in Angelis, nam idem dilemma eademque enumeratio actuum intellectus et voluntatis in Angelis fieri potest, quæ ibi fit in hominibus; ergo vel ratio illa idem probat de Angelis, vel nihil probat in hominibus.

13. Tandem adjungere possumus testimonium, in quo in specie est sermo de hominibus, Joan. 4: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; nam et Pater tales querit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Nam, licet ex vi horum verborum non excludatur actio corporalis, potest enim esse adoratio exterior, et nihilominus in spiritu et veritate fieri, si fiat ex vera existimatione de Deo, et rebus divinis, et ex Spiritu Sancti illuminatione et directione, nihilominus tamen ex illis verbis recte colligimus, ad veram Dei adorationem non esse simpliciter necessariam actionem corporis, sed posse solo spiritu perfici. Primo, ex Christi ratione: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*; illa enim ratio non solum probat ad Deum adorandum esse necessarium spiritum, sed etiam sufficere, si desit corpus, vel actio corporis, nam Deus est solus spiritus; ergo in solo spiritu potest adorari, quamvis etiam possit adorari corpore moto et gubernato ab spiritu. Et qui-

dem mirabile est posse spiritum subjicere corpus suum ad Deum adorandum, et non posse seipsum subjicere et submittere ad eundem Deum adorandum, cum sit purissimus spiritus. Atque hinc probari secundo hoc potest ex ipsis verbis Christi, quod adoratio Dei esse debet *in spiritu et veritate*; quia tam veritas quam actio spiritus potest esse in solo spiritu; ergo in eo esse potest adoratio in spiritu et veritate. Tertio tandem ex communi Sanctorum expositione; dicunt enim Deum adorari in spiritu et veritate, quando virtutum actibus, præsertim fidei, spei et charitatis, colitur, ut patet ex Chrysost. et Cyrillo super Joan.; Hilario, 2 de Trin.; Ambrosio, lib. 3 de Spiritu Sancto, c. 13; Athanas., q. 59, ad Antiochum. Nec dicere possumus hos Patres loqui improprie aut large de adoratione, et non prout significat speciale munus religionis, nisi velimus fateri eos recessisse a proprio et litterali sensu verborum Christi, quæ de propria adoratione necessario intelligenda sunt. Nam Samaritana de illa moverat quæstionem, nam illam exercebant Judæi in monte Sion, Samaritani vero in monte Garizim. Est ergo hæc veritas, ut existimo, valde conformis Scripturis sacris.

14. Atque hinc etiam constat sumptam esse veritatem hanc ex communi Patrum doctrina, præsertim Augustini, cujus egregia sunt illa verba, lib. 10 de Civit., c. 4: *Ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis.* His addo Damasc., lib. 4 de Fide, c. 13, dicentem: *Quia ex visibili simul et invisibili natura constamus, duplici quoque proinde adorationis genere illum rerum omnium parentem et architectum afficimus, quemadmodum videlicet et mente et corporis labiis psallimus, etc.* Ergo, ex sententia Damasceni, non tantum solo corpore, sed etiam solo spiritu, possumus Deum adorare. Nec potest exponi de adoratione impropria aut large sumpta; constat enim ex titulo et intentione capitis, de propria adoratione esse sermonem. Neque etiam posset aliter spiritualem adorationem a corporali distinguere, nisi per spirituale intelligendo eam, quæ in solo spiritu consummatur, cum nulla sit vera adoratio, quæ solo corpore constare possit. Unde expresse illam partitionem comparat cum divisione orationis in mentalem et vocalem. Atque hinc Clichtovæus ibi corporalem adorationem dicit esse illam quæ fit genuflexione, manuum ad cælum protensione, etc.; spirituale autem quæ fit animi affectu, et ad

Deum erectione, sublevatione atque devotione. Et hanc dicit docuisse Christum Samaritanam, Joan. 4.

15. Ullimo, adjungere possumus rationes. Prima et a priori sit, quia, sicut virtus religionis, existens in voluntate, utitur membris corporis per aliquem motum eorum ad adorandum Deum, ita potest uti ipsis facultatibus animæ, mediis aliquibus actibus earum ad idem munus adorandi Deum; ergo affectus adorationis potest immediate cadere in aliquem actum animæ, sicut in actum corporis, tanquam in proximam materiam et objectum suum; ergo potest vera ratio adorationis reperiri in actu animæ, sicut in actu corporis. Major sic ostenditur, nam imprimis certum est, virtutem unam posse imperare actibus aliarum virtutum etiam Theologicarum in ordine ad suum finem seu motivum, quando illi sunt proportionati et accommodati; sic poenitentia medio affectu satisfaciendi Deo movet charitatem ad amandum ipsum, et, propter ipsum dilectum, detestandum peccatum, quia hic actus est illi fini et motivo proportionatus; sic etiam religio castitatem offert in cultum Dei, dum vovet illam, quia est medium accommodatum, ut totus homo possit divino cultui dicari. Ex hoc ergo capite non repugnet, religionem uti actu alterius virtutis ad colendum Deum, ex eo, scilicet, quod sint virtutes distinctæ specie, quia, licet hoc obstet ut actus unius possit ab alia elici, non tamen ut possit imperari, et consequenter possit actus unius esse materia circa quam actus alterius versatur. Sic ergo affectus adorationis, qui est actus a religione elicitus, versari poterit circa actum fidei, vel charitatis, aut similes, non sub propriis rationibus illarum virtutum, sed solum ut sunt materia, et quasi instrumenta apta ad colendum Deum. Et confirmatur, nam voluntas potest motum pedis vel manus ad hunc finem ordinare; ergo etiam motus intellectus vel voluntatis. Nam, quod in actu corporis per se sumpto non sit aliqua ratio virtutis, in actu autem intellectus vel voluntatis sit aliqua ratio virtutis intellectualis, vel affectivæ, Theologalis, vel moralis, non impedit, imo juvare potest ad illum finem, ut jam dicam.

16. Solum superest probandum, in actu interiori posse esse sufficientem proportionem ad eum finem; hoc autem facile demonstratur in hunc modum. Nam actus exterior induit rationem adorationis, quatenus est nota vel signum submissionis et honoris, ut

Damascenus dixit; non est autem nota seu signum naturaliter significans, sed ex impositione, ut per se notum est; inde enim fit ut actiones externæ ex se sint indifferentes quoad cultum, et interdum Deo, interdum vero hominibus accommodentur; et quædam nationes his utantur, aliæ vero aliis; est ergo talis significatio ex impositione, quæ impositio aliquando fit auctoritate publica, si communis et publica sit nota honoris, aliquando propria voluntate et intentione operantis, ut quando unusquisque suis actionibus privatim utitur, prout vult, ad Deum adorandum. Solum præexigitur ex parte actionis proportio aliqua, ut ad talem significationem accommodata sit; quod commune est omnibus signis ad placitum, quæ prudenti aliqua ratione imponuntur, quod etiam de vocibus docent dialectici in libris de interpretatione, sed est maxime verum de his signis, quæ in actione consistunt, ut de sacramentis docent Theologi. Hæc autem omnia melius et perfectius reperiri possunt in actu interiori quam in exteriori; nam imprimis, cum Deus sit supremus spiritus et intueatur corda, non oportet ut nota vel signum submissionis sensibile sit. Præsertim cum hoc signum non ad id referatur, ut animus operantis in alterius notitiam deveniat, quia nec Deus tali signo indiget ad cognitionem, neque etiam ipse operans; aliorum vero notitia neque est necessaria, nec per se intenta ex vi adorationis. Sed ordinatur ad exercendam aliquam operem ipsam subjectionem et submissionem, quæ in affectu habetur, et ad ipsum affectum magis excitandum. Potest ergo hoc fieri spirituali actu seu signo, sicut corporali. Rursus, cum hæc impositio seu accommodatio non semper sit publica, sed uniuscujusque voluntate possit fieri, ex hac parte non repugnat etiam spirituali actui. Præterea, cum homo non solum corpus, sed etiam spiritum Deo submittere debeat, sicut illud facit corporali nota, ita hoc poterit spirituali perficere. Denique proportio illa quasi fundamentalis, quæ in signo ad placitum præsupponi debet, multo major certe reperitur in actu spirituali ad significandam submissionem spiritus, quam in qualibet genuflexione, vel etiam prostratione corporis ad illud submitendum. Probat, nam per actum fidei, verbi gratia, captivatur homo intellectum in obsequium Dei; est ergo talis actus ex se valde proportionatus, ut sit nota animi submissi ad Deum. Simile est de actu amoris, quia illo non quomodocumque diligimus Deum, sed

ut supremum principium, et ultimum finem nostrum, cui nos totos dicamus et consecramus. Propter quod dixit de tali actu Augustin., lib. 10 de Civit., cap. 4: *Hic est Dei cultus et vera religio, hæc tantum Deo debita servitus*. Est ergo in his et similibus actibus maxima proportio, ut possint assumi tanquam notæ spiritualis submissionis et subjectionis ad Deum; ergo potest in eis vera ratio adorationis reperiri.

17. Secundo a simili possumus argumentum sumere ab oratione; nam, si potest esse oratio pure mentalis, cur non poterit etiam esse adoratio? Sicut enim mente possumus affectum nostrum seu desiderium Deo manifestare, ad eum loquendo, ita etiam possumus ipsi manifestare affectum nos ipsos ei subiacendi, nam hunc affectum possumus verbis et actionibus corporis exprimere et manifestare Deo; ergo etiam possumus verbis mentis. Sed illa manifestatio facta per signa corpora, sive illa sint verba, sive actiones, habet rationem adorationis; ergo etiam facta per verba mentalia. Et confirmatur, nam ipsamet oratio potest ex affectu adorationis oriri, et veram rationem adorationis habere. Oratio enim et adoratio plane differunt secundum rationes formales, et interdum etiam re ipsa; est enim aliqua adoratio quæ non est petitio, ut genuflexio, et aliqua petitio intelligi potest quæ non sit adoratio, ut inter homines constat. Interdum vero eadem actio potest esse et oratio, et adoratio. Oratio quidem, in quantum est petitio alicujus rei, quam a Deo obtinere desideramus. Adoratio vero, in quantum ipsamet petitionem assumimus, ut notam submissionis et reverentiæ ad Deum. Unde, si oratio præcise consideretur quatenus procedit ex affectu obtinendi rem postulata, ut sic non est actus religionis, sed erit vel virtus spei, vel alterius, ad quam pertinere potest affectus illius boni, quod postulatur, ut, si quis castitatem postulet ex affectu illius, nullum aliud motivum respiciens. Imo interdum nullius erit virtutis actus, sed potius vitii, ut si quis ex aliquo inordinato affectu a Deo petat aliquid indecorum et inhonestum. Ut ergo oratio ad religionem pertineat, oportet ut honesta sit, et in honorem Dei fiat, seu ad exhibendam Deo reverentiam, ut expresse docuit D. Thomas 2. 2, q. 83, art. 3; exhibere autem reverentiam et adorare idem sunt; ergo oratio, ut est actus religionis, est adoratio quædam seu honoratio Dei, ut supremi et omnipotentis domini, ut etiam Cajetanus in illo

articulo notavit, quod saltem concludit, orationem, ut ad religionem perinet, includere rationem cultus et honoris Dei. Hinc vero ulterius efficitur, etiam posse assumi ut notam submissionis et adorationis, etiam si strictissime sumatur, quia in eo maxime se ostendit homo inferiorem et subjectum. Unde Cajetanus supra recte considerat, per mentis petitionem subiacere nos id quod est nobilissimum in nobis ad honorandum Deum. *Et sic orando* (inquit) *offerimus et sacrificamus mentem Deo, sicut genuflectendo, genua offerimus et sacrificamus Deo, ipsis ad Dei honorem utendo*. Quam doctrinam sumpsit ex D. Thom. ibidem, præsertim solutione ad tertium, ut idem Cajet. notat. Et eandem significat Durand., in 3, dist. 9, q. 1, num. 7, ubi ait, actum patriæ procedere ex electione, qua quis eligit exhibere Deo aliquem cultum, sive exhibendo Deo sacrificia, sive genuflexiones, sive orationes vocales, sive mentales.

18. Tertio, a posteriori seu ab incommodis; duo enim ex illa sententia sequuntur, quæ mihi maxima esse videntur. Unum est, non posse hominem adorare Deum, si omnino non possit membra corporis exteriora movere. Quod est contra praxim omnium spiritualium virorum, et contra rationem; cur enim spiritualis animus ita dependebit a corpore in perfectissimo actu virtutis? Neque enim satis est dicere, posse hominem tunc habere affectum adorationis, quia desiderare adorationem non est adorare, nisi re ipsa exhibeatur. Secundum inconveniens est, quia sequitur, inter Angelos non posse esse virtutem observantiæ, neque mutuum honorem, quod plane est incredibile, quia suam constituunt rempublicam, et civilem societatem; et ideo conveniens ordo postulat ut mutuum honorem possint invicem deferre, et uniuscujusque dignitatem et gradum recognoscere. Sequela probatur, quia si non est adoratio mere spiritualis respectu supremi principis, neque etiam erit respectu inferiorum principum, neque etiam honoratio respectu æqualium; nam eadem est ratio in his omnibus, cum omnia fiant exhibendo notam honoris proportionati excellentiæ ejus cui exhibetur.

19. Atque ex his fere declaratum est quanam possit esse hic actus adorationis, qui corpore non exercetur; explicuimus enim consistere in actu fidei, spei, charitatis et orationis, quatenus hi actus sumi possunt ut notæ submissionis et honoris. Sed aliquid aliud addendum superest, quia per hos actus solos

non satis hæc spiritualis adoratio explicatur. Primo quidem, quia in puris naturalibus esset religio et adoratio Dei, non solum corpore, sed etiam mente pura, tam in Angelis, quam in hominibus vel animabus separatis, et de facto ita exercetur ab animabus infantium in limbo existentibus, quæ nec fidem habent, nec spem, nec charitatem, neque aliquid fortasse a Deo petunt. Deinde beati non habent fidem, et tamen intellectu adorare possunt Deum; et licet nunc petant, tamen post diem iudicii oratio cessabit, non autem adoratio. Rursus non sperant, et licet ament, amore tamen necessario, qui propterea non potest ex affectu adorationis proficisci. Igitur, præter dictos actus, necesse est adjungere alios quibus possit hæc interna adoratio exerceri. Itaque in intellectu proprius et accommodatissimus actus ad hanc adorationem esse videtur recognitio et recogitatio divinæ excellentiæ et submissionis creaturæ ad Deum; nam, dum homo, ex affectu honorandi Deum et submittendi se illi, hoc secum recogitat, eum actum assumit ut notam sui submissi animi ad Deum, et ita illo actu ipsum adorat; et hic actus locum habet, sive illa recogitatio fiat per fidem, sive per naturalem cognitionem veri Dei, sive per aliquam cognitionem evidentem infusam, ut in anima Christi, et beatis extra beatificam visionem, nam illa, eo quod libera non sit, non videtur ad hoc munus accommodata. Atque in hoc actu constituere videntur interiorem reverentiam Henr. et Palud., locis citatis, dum aiunt, revereri aliquem, esse bonum ejus magnum reputare.

20. Rursus in voluntate, præter actum amoris liberum (qui etiam in beatis esse potest præter necessarium, ut est probabilior opinio) potest intelligi alius actus ad adorandum aptissimus, qui a Theologis *timor reverentialis* appellatur, et de illo frequentius intelligunt illud Psal. 18: *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi*. De quo etiam intelligi potest illud Job. 26: *Columnæ contremiscunt, et pavent ad nutum ejus*; unde Ecclesia assumpsit illud: *Tremunt potestates*. De quo timore quid sit, diximus superius, q. 7, et ex ibi dictis constat esse aptissimum, ut assumatur tanquam nota animi submissi ad Deum. Unde frequenter Scholastici dicunt, sic timere Deum, esse ipsum revereri, ut patet ex D. Thoma 1. 2, q. 67, a. 4, ad 2, et 2. 2, q. 19, a. 11, et q. 81, a. 2, ad 1, et q. 131, a. 2, ad 1; et in 3, d. 34, q. 1, a. 3, ubi Magister et alii Theologi idem sentiunt; et Alens.,